

THESES THEOLOGICÆ DOGMATICO-SCHOLASTICÆ DE DEO UNO ET TRINO.

Labaci in templo Divæ Virginis in Coelos Assumptæ anno MDCCLIV. publicè propugnârunt
Religiosi Fratres Innocentius Jeffenko, & Liebhardus Steffl.

PRÆSIDE.

P. F. HUGONE VODNIGH Ord. Min. S. P. Francisci Strict. Observ. Ss. Theologiæ Lectore Generali.

1. Cuius viatori ad consequendam ultimam perfectionem necessaria est notitia aliqua supernaturaliter à DEO inspirata.
2. Præter hanc in vera Christi Ecclesia in quavis lege ab origine mundi semper viguit doctrina sacra seu Theologia, eique ad reum ejusdem gubernium nedum utilis est, sed & necessaria. Doctrina ista certior est quacunque naturali scientia: cujus tamen naturam defectu evidentia non includit.
3. *Existencia DEI* ignorari ad longum saltem tempus invicibiliter non potest: & contra veteres Atheos, ac hodie superstites Politicos, sicut & *unitas* ejusdem contra quosvis Polytheos naturali ratione demonstratur evidenter: sed utraque certius per fidem innotescit: quâ Marcionis & Fausti Manichæi error alterum DEUM auctorem mali fingentium infringitur.
4. Nomen DEO soli proprium præ reliquis est illud ante Moysis tempora ignotum Tetragramaton יהוה, quod Alcazar judicat componi ex illis vocibus יהוה יהוה יהוה, *quærit, qui est, & qui fuit*: verius tamen censent alij illud derivari ex radice יהוה *fuit*: ex quo etiam desumitur existentiam esse DEO essentialem: quod pariter de singularitate judicandum est.
5. Per nomina pluralis numeri DEO in sacris paginis attributa, ut יהוה Domini mei, אלהים, *Dij*, Deorum pluralitas non adstruitur, sed Personarum Trinitas tacite insinuat, ut patet ex verbo singulari passim adjuncto: v. g. אלהים ברא את אלהים. *Creavit Dij*. Gen. c. 1. v. 1.
6. Non male DEUM unum numero dici posse negat D. Basilii Epist. 143. Item & Severinus Boëtius Lib. de Trinitate, contentiente D. Bonaventura & Scoto: quod in sano sensu ab illis intento intelligi oportet.
7. Ex illa veritate naturaliter cognita, *DEUS est causa prima*, methodo synthetica omnes perfectiones generatim, imo plurimæ etiam singulatim, ac ipsa infinitas de DEO demonstratur. Singulæ istæ perfectiones DEI sunt infinitæ intensivè, ad numerum tamen infinitum non multiplicantur.
8. Duratio DEI est æternitas, eaque intrinsecè permanens, & indivisibilis: divisibilis tamen & successiva est coexistentia ejusdem ad tempus.
9. Divina substantia ultra omnes hujus universi limites in infinitum suam diffundit præsentiam, sed negativè tantum: immensus enim est DEUS. Hoc tamen Psalmista Psal. 138. Ver. 10. ex ejusdem operatione per locum ab intrinseco non deducit, nam *eternum* non est ibi nota causalis: ut prodit versio textûs Hebræi, Chaldæi, Syri & Arabici.
10. Nulla creatura, sed solus DEUS est prorsus immutabilis quoad suum esse, intelligere & velle: nec decreta ejus variari possunt ullo modo.
11. Nec in sensu gentilium, nec Antropomorphitarum DEUS est corporeus, sed purus omnino spiritus summè simplex. Reprobatur quoque fictitium quadrum Manichæorum, quarta parte fissum & patens.
12. Gilberti Porretani sententia quoad distinctionem inter naturam Divinam, attributa, & personalitates meritò damnata est à Concilio Rhemenensi: qua tamen damnatione non involvitur sententia Sooti.
13. Lumen in monte Thabor Apostolis visum non fuit accidens DEO intrinsecum, nec enim tale in DEO esse potest. Examinatur & rejicitur Concilium Constantinop. Synodus sub Andronico Imp. celebrata (licet à Græcis Œcumenica nona appelletur) Barlaami hac de re sententiam condemnans.
14. DEUS est vivens vita ab intrinseco perfectè immortalis: estque per essentiam Dominus omnis creaturæ, hæc verò serva ejusdem per essentiam, nec proinde dari in creatura jus ullum potest, nisi quantum à DEO concessum fuerit, vel restrictum.
15. Creatura rationalis tenetur DEUM diligere, adorare & colere juxta determinatum præscriptum unius solius veræ Religionis à DEO revelatæ; hinc Deistæ, Indifferentistæ, Naturalistæ non sunt in via salutis. Inane & perniciosum proinde est cum Puffendorffio, Wolfio &c. docere jus naturæ, quod à DEO, ejusque Lege, & præsertim ab obligatione hominis ergà DEUM præscindat.
16. Ideam DEI etiam positivam habere possumus pro hoc statu, sed confusam valde & imperfectam. Sive Divinam essentiam statuamus in eo, quod sit *ens radicaliter infinitum*, sive in eo, quod sit *ens à se existens*, parum interest, & verificari utrumque potest.
17. DEUS solus secundum suum esse essentialiter est finis ultimus, in quo sistit, & beata sit creatura rationalis. Imo & in statu puræ naturæ (quem moderna providentia ubique excludit) frustra alius finis ultimus quæreretur. Unde reprobantur errores memoratorum Naturalistarum.
18. Improbato Begardorum & Beguinarum errore fide certum est, quantumcunque remotis naturalium objectorum impedimentis, puris naturæ viribus DEUM intuitivè videri non posse: potest tamen eum ita attingere intellectus (non item oculus corporeus) elevatus per lumen gloriæ.
19. Intellectus hoc lumine elevatus est causa partialis efficiens visionis beatæ. (In hac simul & in fruitione consistit essentialiter beatitudo supernaturalis.)
20. Quæ etiam ante extremum judicii diem animæ corporibus salutæ omnis reatus culpæ & pænæ immunes perfruuntur.
21. DEUS perfectè cognoscit omne intelligibile movente Divina essentia tanquam objecto primario prius cognito: non tamen scientia DEI, sed voluntas & volitio est causa efficiens rerum ad extra etiam de mente Patrum. Ideas in DEO non negavit D. Dionysius, nec Anselmus.
22. DEUS ab æterno prædefinit omnia futura, quin inde inducatur in contingentibus necessitas, vel creaturæ lædatur libertas. Expenditur hac de re Marcionis argumentum.
23. Infallibilis prævisio futurorum contingentium non habetur per vim scientiæ mediæ, sed in decreto Dei: quod non est antecedens, sed concomitans.
24. Circa omnes etiam minutissimas creaturas (D. Hieronimo quoad substantiam non contradicente) suam DEUS exercet providentiam: quæ quidem sæpe sine suo particulari, nunquam tamen universali principaliter intento destituitur.
25. Voluntas salvandi omnes in DEO est positiva & sincera, non verò nugatoria: quidquid in oppositum plures senserint hæretici.
26. Efficax tamen & absoluta prædestinatio ad gloriam præsupponit merita, & reprobatio demerita absolutè prævisa. Reprobatio verò purè negativa non admittitur.
27. Personarum Trinitas in ejusdem Divinæ essentia unitate, in novo testamento clarè revelata, fide credenda est. Idem mysterium quibusdam Patriarchis & Prophetis tam in lege naturæ, quam scripta Mosaica fuerat revelatum, sed ab ipsis obscurius promulgatum.
28. Tres tantum sunt (nec plures aut pauciores esse possunt) in vero stricto sensu *Personæ* Divinæ, Pater & Filius & Spiritus S., quas nec confundere licet cum Praxeæ & Sabellio: nec earum dividere naturam cum Macedonio & Ario. Quapropter ipse quoque de hoc mysterio loquendi modus cautus esse debet, ac certis regulis coarctatus.
29. Postsublatam in vocum acceptione varietatem, quæ multos olim turbaverat, *verba* essentiam seu naturam, *ὑποστάσις* subsistentiam, *ὑπόστασις* personam significat. *ἰσὺς* consubstantialitatem rectè insertum est symbolo Nicæno seu Constantinopolitano: nec illud aliter Antiochena synodus rejecit nisi in sensu Pauli Samosatani.
30. Liberius Papa Arianis nunquam communicavit in dogmate: quidquid non rectè egerit damnando Athanasium, & subscribendo formulæ Sirmiensi.
31. Præter tres subsistentias relativas datur quarta absoluta Divinæ essentia propria: *omnis enim res ad se ipsam subsistit, quanto magis DEUS* D. Augustinus lib. 7 de Trinitate c. 4.
32. Quatuor relationes originis in suo esse formali præciso nullam perfectionem, sed neque imperfectionem important.
33. Secunda Persona est Verbum seu Filius, non item tertia; quia illa per intellectum naturaliter, hæc verò per voluntatem essentialiter cum libertate procedit.
34. Filius à solo Patre, ab hoc utroque autem procedit Spiritus Sanctus tanquam ab uno principio, unòque spiratore. Unde *ly Filiòque* optimè citato symbolo adjunxit Ecclesia approbante Concilio Florentino.
35. Id tamen non sat solidè ex eo contra Græcos probaretur: quod in ipsorum hypothese Spiritus S. non distingueretur à Filio: Hypothesis enim ista etiam de mente S. Anselmi non subsistit.
36. Missio necessariò supponit processionem Personæ missæ à mittente, importatque respectum rationis ad effectum vel terminum temporalem. Quare Pater mittit, & non mittitur: Filius & mittit & mittitur, Spiritus S. mittitur, & non mittit.

O. A. M. D. G. & B. V. M. H.

THESES THEOLOGICAE
DOGMATICO-CHOLASTICAE
DE
UNO ET TRINO

Institutio per ... anno MDCCCLV. publico ...



88233
III

[The main body of the document contains several columns of text, which is mirrored and appears to be bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to the orientation and fading.]



U. A. M. D. N. M. H.